



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XLVII. Ad quemnam Iudicem spectet cognitio, si captus à satellitibus
affirmet se captum fuisse in loco sacro, illi autem negent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

5 commissa sit, non tamen propterea tollitur, quin teneatur dictas dilationes concedere; cum id sit de iure naturæ, & alias delictum non esset plene probatum. Atque ita docent Farinac. loco supra cit. num. 64. Speculat. in titul. de offic. omni. iudic. §. fin. num. 18. & Ciarlinius in contron. forens. cap. 10. num. 151. contra Giurbam confil. 50. num. 5. Tenetur etiam Iudex Ecclesiasticus, cum processum fecerit, illum publicare, ne reo, & Ecclesie defensio, & allegandi, si quid habeat in sui iuris fauorem, potestas tollatur. Vide Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. loc. supra cit.

- 3 Reus si captus à iudice laico alleget clericatum, de hoc cognoscere spectat ad iudicem Ecclesiasticum.
- 4 Melior est conditio possidentis quando sumus in dubio, & cetera sunt paria.
- 5 In casu posito index Ecclesiasticus non debet facile credere satellitibus, quia agitur de gravi præiudicio tertij, & ideo est cauendum huius de re diligenter.
- 6 Per iudicem Ecclesiasticum hic intelligitur Episcopus, & non Prælati regulares.

DUBITATIO XLVI.

An in dubio, quod delictum sit exceptum possit iudex Ecclesiasticus iudicare, quod reus non gaudeat, sed priuetur immunitate?

SUMMARY.

- 1 In dubio amplectenda est ea opinio, quæ magis fauet Ecclesie, & reo etiam in casu privilegij immunitatis.
 - 2 Episcopus in omni casu dubio consulere debet Pontificem.
 - 3 Episcopus tradens indebitè reum Curie se ulari præter peccatum mortale sacrilegij, & iniustitiæ, & sic damnorum obligationem, si reus morte puniatur, incidit etiam in irregularitatem.
- 1 Respondetur negativè; quia (vt per se patet, & supra dicebam dub. 37. sect. 1. num. 27.) in dubio ea opinio tenenda est, quæ magis fauet Ecclesie, & reo. Atque ita in terminis casus dubij de immunitate Ecclesie docent Farinac. in append. cap. 8. n. 123. in fin. Maranta part. 2. respons. 36. n. 11. & respons. 51. num. 12. Giurba confil. 10. n. 2. in fin. & Sperellus decis. 60. n. 13.
- 2 Vide etiam Guazzinum defens. 10. n. 20. ubi rectè ait, quod Episcopus in omni casu dubio consulere debeat Pontificem.
- 3 Ceterum Episcopus, si reum Curie sæculari tradit in casu, quo debet ille gaudere, præter peccatum mortale, sacrilegij, ac iniustitiæ, & sic damnorum obligationem, & irregularitatem (si reus ad mortem damnatur) incurrer; quia in casibus non exceptis nullam potestatem in reum habet, & consequenter, si tunc Curie sæculari eum tradit, reo, & Ecclesie iniuriam maximam infert contra virtutem iustitiæ, & religionis. Vide Nouarium in summ. Bullar. tit. de immunit. num. 31.

DUBITATIO XLVII.

Ad quemnam iudicem spectet cognitio, si captus à satellitibus, assermet, se captum fuisse in loco sacro, illi autem negent?

SUMMARY.

- 1 Cognitio controversa rei capti, & satellitum capientium asserentium contra rei depositionem se non excusos capturam in loco sacro, spectat ad iudicem Ecclesiasticum.
- 2 Accessorium sequitur naturam sui principalis.

Respondetur, quod spectet ad iudicem Ecclesiasticum. Atque ita docent Farinacius in append. cap. 2. num. 54. Gambacorta lib. 4. cap. 22. num. 25. Peregrinus in tract. de immunit. Eccles. cap. 13. num. 18. Antonius Nouarius in summa Bullarum, tit. de immunit. num. 95. & Marius Italia lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 100. & seqq. Et probatur, quia ad iudicem Ecclesiasticum spectat cognoscere causas immunitatis principales, vt potè Ecclesiasticas, & spirituales: ergo ad eundem spectabit cognoscere alia ad illas concernentia; quia accessorium sequitur naturam sui principalis, cap. 2. accessorium, de regul. iuris in 6. Quapropter in cap. si iudex, de sententia excommunic. in 6. deciditur, quod si reus captus à iudice laico, dicit se esse clericum, huius rei cognitio spectet ad iudicem Ecclesiasticum: quia de re tamen nos dicebamus cap. 4. dub. 25. usque ad 30.

Dices, reus est in possessione iudicis laici: ergo cognitio spectat ad iudicem laicum, consequentia probatur, quia melior est conditio possidentis.

Respondetur, concedo antecedens; at nego consequentiam, & ad probationem eius respondeo, quod melior est conditio possidentis, si sumus in dubio, & cetera sint paria, (quod non est in casu nostro, vt dicebamus.) Vnde in cit. cap. si iudex, licet reus sit in manibus iudicis sæcularis, deciditur tamen, quod cognitio de clericatu spectet ad iudicem Ecclesiasticum.

Aduerte tamen hic cum Doctores (quos citat, & sequitur Tuschus verb. Ecclesia, conclus. 10. num. 17. Farinac. in append. cap. 2. num. 44. Mar. Italia de immunit. lib. 1. cap. 6. §. 2. num. 98. Decianus in tract. crim. tom. 2. lib. 6. cap. 19. num. 10.) quod in casu posito non debeat index Ecclesiasticus de facili credere satellitibus, seu biuatijs affirmantibus; quia agitur de graui præiudicio tertij, & de graui præiudicio loci sacri, quorum partes sunt valde fauorabiles, quamvis debeat prudenter attendere verba illorum, & considerare omnes circumstantias, & secundum illas se regulare, & rem exequi; siquidem in obscuris, quod verisimile est, ex coniecturis inspicere solet, l. in obscuris, ff. de regul. iur. huiusmodi verd coniecture desumuntur primo, si omnes salites id asserunt, præsertim ipsorum dux, seu vulgo dictus Capitaneus. Secundo, si satellites reum acceperint, non accepto pretio, vel mercede. Tertio, si alij etiam asserunt reum captum fuisse in loco non sacro.

Aduerte secundo, quod etiam in dubio, an reus in loco sacro, vel prophano captus sit, spectet ad Episcopum, & non ad alios Prælatos regulares id decidere, prout ex Peregrino, Correa, & alijs tradit Barbosa de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. numero 15. & sequentibus.